

» et earum quamlibet ac ipsarum et cujuslibet earum auditores,  
» judices et officiales, praedicti domini dux, rogati, consilarii, et  
» dominium totiens quotiens contraventum fuerit in toto vel in  
» parte contentis in dictis capitulis, voluerunt ad instantiam tam  
» moderni, quam pro tempore existentis summi pontificis seu  
» dicti sacri collegii vel camerae apostolicae posse cogi, compelli,  
» constringi, excommunicari aggravari et reaggravari; etiam cum  
» invocatione auxilii brachii saecularis ac realiter et personaliter  
» conveniri usque ad integram observationem omnium et singulo-  
» rum in dictis capitulis praeinsertis et in praesenti publico instru-  
» mento contentorum; ita tamen quod una dictarum curiarum  
» electa per praedictum modernum et pro tempore existentem  
» summum pontificem, aut dictum sacrum collegium seu cameram  
» apostolicam et iudicio incepto in ea, nihilominus ipsa dimissa ad  
» aliam seu alias curiam seu curias ire et redire possit et habere  
» recursum, nullum sibi neque suis propter electionem hujusmodi  
» praejudicium generando: Renuntiaruntque dicti oratores nomi-  
» nibus quibus supra, exceptioni dictorum capitulorum, non sic,  
» ut praemittitur, per eos celebratorum et aliter fuisse dictum et  
» recitatum quam scriptum, et e converso ac exceptioni doli mali,  
» vis, metus, fraudis, in factum actioni, conditioni indebitum ob  
» causam et sine causa et ob injustam seu turpem causam restitu-  
» tioni in integrum et cuilibet protestationi publice vel occulte quo-  
» modolibet factae vel fiendae, nec non omni juris canonici et ci-  
» vilis auxilio, omni appellationis remedio, dationique et oblationi  
» libelli, litis contestationi, ad arbitrium boni viri reductioni et  
» reclamationi copiae praesentis publici instrumenti seu ejus notae  
» et capitulorum praedictorum ac a quibuscumque aliis privilegiis,  
» beneficiis feriis, induciis, immunitatibus factis et fiendis, ac omni-  
» bus aliis et singulis exceptionibus, juribus et defensionibus im-  
» petratis et impetrandis quibuscumque et sub quocumque tenore  
» verborum, quibus mediantibus, contra praemissa vel aliquod  
» praemissorum in praesenti publico instrumento et capitulis